



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXI. Gregorii Papae I. Ad Marinianvm Episcopvm Ravennae.
Commendat vxorem Ioannis, quae in controuersiam suae conditionis
vocabatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

vos præsentibus adhortamur, vt hos diligenti inuestigatione perquiratis, & veritate cognita, talem in eis faciatis exerceri vindictam, quatenus & Deus placari possit, & aliis eorum vltio correptionis exemplum sit. Scripsimus autem & Mauro nunc vicecomiti, vt fraternitati vestræ in hac re debeat adhibere solatia, dummodo ad comprehendendos eos inuenire excusationem aliquam non possitis. Quia vero comperimus multos se a murorum vigiliis excusare, sit fraternitas vestra sollicita, vt nullum neque per nostrum vel ecclesiæ nomen aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur; quatenus cunctis vigilantibus, melius auxiliante Domino ciuitatis valeat custodia procurari.

EPISTOLA XXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD MARINIANVM EPISCOPVM RAVENNÆ.

Commendat vxorem Ioannis, quæ in controuersiam suæ conditionis vocabatur.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.

* al. Ge-
orgii IOANNES præsentium portitor queritur vxorem suam, molestias * Gregorii cuiusdam refugientem, diu in se-
ptis venerabilibus residere, & nullum hæcenus inuenisse solatium. Cuius quia de conditione esse controuersiam asserit, & vestræ eam fraternitati perijt commendandam, his vos hortamur affatibus, vt eidem mulieri, seruata æquitate, debeatis tuitionem impendere, & a nullo eam contra rationis ordinem grauari aliquo modo permittatis. Sed si de statu eius quæstio perseverat, studii vestri sit, vt sine oppressione aliqua, legali modo ad iudicium veniatur; quatenus dum veritate cognita quod iuris ordo suaferit fuerit definitum, neutra se pars aliquod doleat præiudicium pertulisse.